

Letter 158: 21 May 1523, Basel, Valentinus Curio to Capito

The manuscript of the letter is in the Universitätsbibliothek Basel, Ki.Ar. 25a, 38.

D. W. Domino patrono se commendat.

Statuebam his diebus te invisere, atque de nostris communibus rebus presenti loqui, sed vide, nuntiatur hodie Conradum Heresbachium officinae iam meae Maecenatem post triduum adfuturum, quem in rem meam desiderantissime dudum expecto. Proinde me excusatum
5 prestantiae tuae spero atque confido. Ceterum quia nuper scripsi inituum propediem tecum rationem quid tuo nomine debiti acceperim, quidque in vicem expenderim breviter habe: 16 florenos, ii testes ex venditione lexicum pro tertia parte tuo nomine comparavi, iuxta computationes cum Cartandro hucusque habitas, computatis etiamnum debentibus debitis (quibus tamen gravare te animo non est). Neque desidero etiam vecturae atque Franckfordiae habitas impensas, nisi
10 omnino tua liberalitas aliter decreverit. Praeterea duo mihi adhuc sunt lexicum nondum venditi. Cartandro (ut relatam) 20 quae an vendiderit ignoro, quorum tertia pars quoque tibi debetur. E diverso, quae pro tua humanitate expenderim, haec sunt: Ioanni Wiler, 50 fl. in auro, D. Wattenschne 43 fl., qui constanter tantum sibi deberi affirmabat. Adhaec iuxta initam tecum computationem, antequam decederes hinc, debebas ex conglutinatura quorundam librorum pro te
15 Halwilerio Hartmanno et Gerthovio, atque emptis quibusdam libris ac aliis expensis 2 fl. 19 s., item pro Aldinis libris Franckfordiae emptis anno 20, fl. 13, tst. 3, quorum omnium summa fl. 118, s. 13. Quid autem pro libris meis tibi datis iureconsultorum videlicet voluminibus volueris, dato. Eos ipsos me non minoris 50 fl. comparatos cum conglutinatura certo scio, quod tamen non in id dico, ut a te patrono meo tantum quoque sim accepturus, quorum tamen taxam tuo relinquo
20 arbitrio, quandoquidem eo odio persequuntur iura iam ut unicum Bartholum per sesquiannum vix dabatur extrudere, ut interea taceam de tot voluminibus vendendis, sed de his hactenus. Premunt servitores mei humeros, pecuniam sistere iubent. Arbitror facile aequari utriusque impensis, etiam si non pluribus egeam. Quinquaginta fl. Hagenoiae tibi creditos non admodum desidero, sed si commode fieret, praeter damnum tuum, iam obrutum alieno aere me solarent si
25 solverentur. Vale, et me atque Cartandrum oro, ut consuevisti, amplectere. Dabo operam ne unquam te prestiti nobis patrocinii poeniteat et perpetuo devinctum me habeto. Iterum vale festinanter. Basileae, 21 Maii, anno 1523.